

tuor beatitudines legitur (leguntur) quia quatuor uirtutes cardinales in ipsis continentur. *Candes* latine dicitur. iste quatuor beatitudines ostendunt quatuor partes mundi. Manet tamen difficultas τ & *Caudes* five *Candes*, nisi dicas legendum *Cardines*, aut cum Gemetic. corruptum graecum καρδιαι. Atque haec innuisse sufficiat ad consanandas vetustas has *Pseudohieronymi* Adnotationes olim animum adiecturo, quae hac miniatata formula terminantur: *Explicit Expositio Sancti Hieronimi Presbyteri IIIIor Euangel. De Breui Prouerbio Edita.*

II. fol. 60. eadem Sec. X. manu sequuntur: I. Locus de *Antichristo* ex Apocalypsi hoc initio: *Judex iniquus id est antichristus. qui deum non timet quia superbus est &c.* II. *Incipiunt Sententias De Floratibus* (Floretis, Florilegiis) *Diuersis*. Catechesis videlicet de Natura et Creatione hominis, de praecipuis Fidei Capitibus, deque omnibus sacris V. et N. T. Libris, cujus initium: *Int. Homo per quid dicitur? Resp. Homo dicitur ab humo quia de limo terrae formatus est. &c.* III. Locus *Augustini* de Monstris, qui c. 8. L. XVI. de Civ. Dei est. IV. Ritus conjurandi Tempestates.

III. fol. 68. manu Sec. XIV. *Incipit tractatus Raby samuelis Ifrabelite per quem probatur aduentus christi siue Messye dudum preteritus per dicta ueteris legis et prophetarum que iudei recipiunt.* Praeit interpretis *Alphonsi Boni-*

hominis O. P. *Dicatio*, ut *Cod. DCXV.* quo te refer.

II. Codicis extremo a Compactore adtexta est Lacinia membranacea Sec. fortasse VI. versus aliquot L. *Numeror.* c. 26. caractere unciali perpulcro exhibens, nec illos Interpretationis *Hieronimianae.*

CCLV. VII. C. 7

Codex membraneus lat. Sec. 164 XII. Folior. 98. f. nitide exaratus, rubricisque distinctus continet I. Commentaria in *Marci* Evangelium *Hieronimo* subposita. Praecedat Index hoc rubro: *Incipiunt Capitula Secundum Marcum dicta per hieronimum.* Haec tamen Capitula per Operis decursum nullibi indicantur, sed totum Opus in duas, quod singulare est, *Homilias* dividitur, suffragante, qui in antica thecae parte scriptus est, titulo: *Feronimus super Marcum in duabus omeliis.* Incipit vero *Omelia Secunda* ad *Marci* C. XII. ab illis verbis: *Mulier sterilis non relinquens semen &c.* Post indicem *Incipit expositio beati Hieronimi in Marcum Ev. Incipit Prologus.* *Omnis Scriba doctus in regno celorum &c.* Et sic reliqua, ut nobis *Cod. CCXLVII.* n. 2. et editionis *Valarsianae Opp. Hier. T. XI.* p. 783.

II. fol. 22. *Incipit liber episcopalis in quo continentur acta beatorum pontificum urbis romae. Incipit epistola beati hieronimi presbyteri ad beatissimum damasum episcopum*

scopum urbis romę. Adjectum est *Damasi* Responsum. Primus has epistolas produxit *Godefr. Henschenius* in *Act. SS. T. I. Aprilis*, et pro sinceris habuit, in quo suffragatorem praeter alios nactus est *Lambecium* nostrum L. II. p. 926. edit. *Kollar. col. 813.* Sed *Emm. Schelstratius* rationibus jam in prima edit. *Antiquitatis Eccl. illustr. 1678.* adlatis permovit *Dan. Papebrochium*, ut in *Propyl.* ad T. IV. *Maji Henschenii* iudicium retractaret, ex quo tempore communi calculo, si fortasse *Job. Ciampinum* in *Examine Libri Pontif. Sect. 10. Romae 1688.* et *Muratorii Scriptt. Ital. T. III. p. 50.* excipias, abdicatae sunt hae Epistolae; cui tamen eas per se cognoscendi est animus, adeat *Lambecium l. cit. Schelstratium cit.* edit. altera *Romae 1692. T. I. Dissert. 3. p. 347. Fabricium v. Damasus &c.* Illas continuo jam excipit *Catalogus Pontificum Rom.* pertingens a *S. Petro* ad *Formosum*, qui sedem an. 891. occupavit, in quo *Anacletus* a *Cleto* distinguitur, *Fabianus* pro *Sabiniano* scribitur, folique nomini *Hadriani I.* adjicitur haec nota: *Anno DCCLXX. III. Karolus inuitatus ab adriano papa italiam ingrediens. desiderium regem in papia obsedit. DCCLXXIIII. Karolus papiam cepit, et desiderium regem in franciam duxit DCCLXXV. Adrianus papa decessit in natale domini (795) et leo electus consecratus est.* Catalogo succedit miniata haec inscriptio: *Incipiunt Gesta supra*

scriptorum pontificum. Haec tamen *Gesta* non emetiuntur totum Catalogum, sed desinunt in *Stephano II.* qui anno 752. Pontificium cepit. Illorum porro Collectorem non esse *Damasum*, neque omnium autorem *Anastasium* dictum *Bibliothecarium* satis inter Eruditos convenit. Variare Exemplaria non tantum, quod progressum temporis, sed etiam, quod res et dictionem spectat, facile quivis videt, qui *Emm. Schelstratii* *Dissert. III. de antiquis Rom. Pontiff. Catalogis, Antiquit. Eccl. illustr. T. I. Romae 1692. p. 327. f. Job. Ciampini Examen supracit. Fr. Blanchini* editionem *Libri Pontificalis Romae* coeptam 1718. et IV. *Voll. f. constantem*, et *Job. Vignolii* opus idem *ibid.* curatum 1724. III. *Voll. 4.* adierit, in quibus nostri quoque Exemplaris disiecta membra reperiuntur.

III. fol. 31. Acta *S. Nicolai Myrensis Episcopi* tribus partibus constantia. Prima est *Vita* hac miniata inscriptione: *Prologus de Vita Sancti Nykolai.* Initium Prologi: *Gloriosa quidem acta Sanctorum, quibus ab-ortu natiuitatis suę feliciter domino placuerunt &c.* Finis: *nunc ad narrationis seriem redeamus.* Narratio ipsa titulum hunc miniatum praefert: *Quo die Sanctus Nykolaus natus stetit in pelvi. Et quod IIII. ieiunavit.* Incipit: *Placuit igitur Redemptori omnium cuidam clarissimo uiro epiphanio nomine concedere filium &c.* constatque Capitibus XXVII. quorum

rum postremum sic rubro inscriptum: *Incipiunt acta sanctissimi Nykolai archiepiscopi liceg mirensis metropoleos mense decembrio die VI. maxime prolixum est, versusque finem haec habet: Hucusque de grecorum editione trabentes doctorum ad latinitatis transtulimus gratiam &c.* Pars altera hoc titulo gaudet: *Incipiunt post obitum miracula Sancti Nykolai.* Incipit: *Igitur postquam beatissimus Nykolaus ex hoc mundo migravit &c.* Finit: *apud ipsum mundi conditorem intercessorem habeamus per eum qui uiuit &c.* Utraque haec Pars, ut re conveniat, abludit tamen et ordine et phrasi a tribus *Nicolai* vitis, quas *Aloys. Lipomanus* in *Vit. SS. PP. P. II. p. 252.* exhibet, nec novi, an inter *Acta Nicolai* a *Nic. Carminio Falconio Neap. 1751. f. publicata*, quae ad manum non sunt, extet, aut, an inter Continuatorum *Bollandi* Collectanea fit, olim ad diem *VIII. Id. Decembr.* proferenda. Tertia Pars agit de Translatione Corporis *D. Nicolai Barium* in *Apuliam* minio sic inscripta: *Prologus De translatione Sancti Nykolai episcopi. Que est septimo idus maii. Gloriosa Sanctorum Meritadum pio ac frequenti studio &c.* Narrationis initium: *Est ergo Uaris (Barium) Ciuitas Apulie que dicitur una esse ex decem et octo Provinciis Italie &c.* Extat ejusmodi Narratio, sed dictione diversa *T. VII. Laur. Surii de probat. SS. Vitis p. 397.* scripta

a *Jobanne Archid. Barenfi* circa an. 1088. inuenio tamen in *not. ad Martyrol. Rom. Baronii* die 9. *Maji* p. 187. latitare et aliam in Mfs. autore *Nicephoro Barenfi*, quae, num nostra fit, dicere non habeo. Hagiographi *Belgae* de hac Translatione agere ad diem supradictam *Decembris* distulere.

IV. fol. 51. *Incipit prologus in uitam Godehardi episcopi et confessoris. Summe Reuerentie decore venerando Domno meo et magistro Albuino. toto semper deuotionis studio colendo. Wolfperius spiritu et corpore modicus &c.* Legitur haec *Godehardi* primum *Altabae inferioris* in *Bojoaria* (non *Tegernseensis*, ut *Fabric.*) *Abbatis*, tum *Episcopi Hildesensis* ✠ 1038. Vita autore non *Arnoldo*, sed *Wolfberio* *Monacho Altabensi* in *Cph. Broweri Sideribus Germ.* apud *Surium* ad diem *IV. Maji*, ad eandem in *Actis SS. T. I. p. 502.* apud *Mabilonium Sec. VI. Bened. P. I. p. 395.* et in *Leibnitii Scriptt. Brunsv. T. I. p. 482.* Deest tamen in *Cod. nostro* ultima *Appendix.*

V. fol. 72. *Vita S. Willibaldi episcopi.* Initium: *Originem Egregii confessoris christi atque pontificis &c.* Finis: *et precipue tuis tibi a christo collatis, Per eum qui cum patre &c.* Vita haec *Willibaldi* *Angli*, primi *Sec. VIII. Eichstettensium* *Episcopi* extat in *Henr. Canisii Lect. antiq. edit. Basnag. Amst. 1725. T. III. P. 1. p. 13. Reginoldum Ep. Eich-*

Eichstettensem ✠ 989. autorem facit *Canisius*, dubitante *Basnagio* in *Praef.*

VI. fol. 76. *Incipit prefacio in uitam S. Maximini treuerorum archiepiscopi. Lupus Waldoni Suo Salutem. Amicos honestis certare officiis &c.* Vitam hanc edidit *Steph. Baluzius* inter *Opera Seruati Lupi* Presb. et Abb. *Ferrariensis Paris.* 1664. p. 275. 8.

VII. fol. 80. p. 2. *Incipit prologus in uitam Nicecii treuerorum archiepiscopi. Si fides dictis adhibetur &c.* Autor hujus vitae *Gregorius Ep. Turonensis*, qui eam *Vitis PP.* c. 17. inseruit, ubi in edit. *Opp. Paris.* 1699. legitur col. 1231. f. usque ad illam Codicis nostri particulam: *Nam ibi cunctorum &c.* quae ex eisdem *Gregorii Libro de Gloria Confessorum* c. 94. col. 976. defumta est.

VIII. fol. 84. *Incipit vita Sancti Symeonis Monachi. Igitur vir dei Symeon patre greco Antonio dicto &c. Simeon hic Syracusanus reclusus in turri circa Treuerim obiit 1035. Vita illius*

praefens habetur T. III. *Surii* p. 439. et in *Actis SS. T. I. Junii* p. 89. et quidem cum *Praef. Euerwini Abb. S. Martini Treuer.* ad *Popponem* ejus urbis Archiepiscopum, quae nobis deest, uti et extrema illa particula, quae incipit: *Ea tempestate &c.*

IX. fol. 89. p. 2. *Prologus in passionem S. Antonini martiris. Quaecumque de Sanctorum ac beatissimorum martyrum mirabilibus recitanda sunt &c.* Titulus et initium: *Vita uel passio antonini M. Igitur Reverentissimus Puer Antoninus &c.* Finis: *Explicit passio sancti antonini martiris. quem peregrini Antilinum uocant. Qui passus est apamia ciuitate sub antonino imperatore cognomento pii IIII^{to}. N. Septembris.* Haec ciuitas *Syriaene* fit, an *Galliae*, multis ventilant *Hagiographi Antverpienses* ad diem 2. *Sept. T. I.* p. 340. Acta uero nostra promittit *Phil. Labbeus T. I. Novae Bibl. Mss. Paris.* 1657. p. 688. f. usque ad *Versus* numero 34. nostro in *Codice* subjectos, quorum initium finemque recitare lubet:

*Germine conspicuo primis natalibus ortus
Floruit hic sanctus, magnis uirtutibus auctus.
Denique celestis doctrinae lampade feruens
Jura sacerdotii meritis poscentibus ipsis
Induit et christo studuit seruire tonanti. &c. —
Atque coronatum uictrici tempora lauro
Angelicis cuneis adsciuit iure sodalem,
Cum quibus aeterna fruitur per tempora doxa.*

X. fol. 93. p. 2. *Historia translationis SS. Synesii et Theopompi ad Coenobium Nonantulense prope Tarvisum hoc rubro: XI. Kal. Junii festiuitas Sanctorum Martirum Senesii et Theoponti.*

Initium brevis Prooemii: *Omnipotentis Dei magnificentia sua uult pietate solita &c.* Ipsi^{us} Historiae: *Anno igitur incarnationis xpy^{ti} septingentesimo octuagesimo. imperii uero Karoli magni septimo &c.* Meminit Petrus de Natalibus in *Cat. SS. L. V. c. 33.* Theopompi et Senesii Nicomediae passorum. Bollandus eos ex *Martyrologio Rom.* profert ad diem 3. Jan. sub nomine Theopempti et Theonae dicti etiam Synesii. Successores ejus T. V. Maji p. 2. in *praetermissis ad diem 21.* Maji dicunt, se Acta eorum graeca, prolixiora, quam latina nactos esse, simulque translationem Reliquiarum *Nonantulam* factam,

atque ea omnia seruaturos *Supplementis Mensis Januarii* olim edendis. Interea uero *Ferd. Ugbellus* Narrationem hanc *Italiae* suae *Sacrae* inferuit, ubi legitur *edit. novae T. V. col. 491.* ex Codice *Nonantulensi* uetusto, ut ait, quo tamen noster prolixior est; cum enim ille in haec designat uerba: *ipsorum precibus usque hodie sanantur*, noster plus 56. lineis excedit, narratque pestem saeuissimam tempore *Rodolphi II.* Abbatis, qui obiit 1037. circumgestatione sacrorum Corporum a populo *Nonantulensi* abactam, *versus* item eorum sarcophago inscriptos esse, quos recitat hoc initio et fine:

Hic recubat sanctus Senesius intus in arca.

Theopontius extans almus in ipsa.

Quos sudore suo uexit Rodolfus adelpbus.

Qui tunc teruisio degebat paupere cella.

Petrus sacra sacer condens posuitque locello &c.

Viuere Rolandi per uos sit in ethere beati

Rodolphi primitus pro *Roland* scriptum putem; uox enim rescripta est. Alia de his Martyribus *Cosmae Materiensis* Carmina habes *Ugbellii T. II.* in *Epp. Mutinensibus col. 111.* Initium narrationis totius decerpfit etiam *Mabilonius Afor. O. S. B. Sec. I.* p. 13.

lum exhortatorium ad *Virginem* quandam de officiis *Castimoniae*, quod incipit: *Quantam in caelestibus beatitudinem uirginitas sancta possideat preter scripturarum testimonia ecclesie etiam consuetudine edocemur &c.* *Hieronymo* olim adtributum interque *Subposititia* translatum legitur *edit. Vallars. T. XI. p. 127.* titulo *Laus Virginitatis*, atque in *Admonitione* praevia recte arguitur non diu post annum 404. conscriptum fuisse, eo, quod adludat ad *Innocentii I. Pont.* Epistolam ad *Victricium Rothomag.* hujus anni, quam

CCLVI. VI. H. 26.

664 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. 256. 4. eleganter scriptus, eximiaque notae continet; I. sine inscriptione Opuscu-